

Besitzungen des Salzburger Erzstiftes, gleichsam als Beweis, dass nicht das Hochstift sondern nur sein Vorstand, der neugewählte aber nicht bestätigte Erzbischof, der päpstlichen Gnade entbehre¹⁾.

¹⁾ 30. September 1200.

Priuilegium domini Innocentii III. ad confirmationem datum omnium priuilegiorum sancte Juuanensis ecclesie ad Perhtoldum Prepositum. (r.)

Innocentius episcopus seruos seruorum dei. Dilectis filiis Bertoldo preposito sancti Rudberti Salzeburgensis ecclesie eiusque fratribus tam presentibus quam futuris canonicanam uitam professis imperpetuum | *). Quotiens a nobis petitur quod religioni et honestati conuenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere et potentium desideriis congruum suffragium impetrari. Eapropter dilecti in domino filii uestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatam ecclesiam sancti Rudherti in qua diuino mancipati estis obsequio ad exemplar felicis recordationis Eugenii et Urbani predecessorum nostrorum Romanorum Pontifice sub beati Petri et nostra protectione suspicimus et presentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus qui secundum deum et beati Augustini regulam atque ordinationem bone memorie Chunradi quondam Salzeburgensis archiepiscopi in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preferea quascumque possessiones quecumque bona eadem ecclesia impresentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessionem pontificum, largitione regum uel principum oblatione fidelium seu alii iustis modis prestante domino poterit adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis. Locum ipsum in quo prefata uestra ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis. Salinam in Tuual a bone memorie Chunrado primo Salzeburgensi archiepiscopo ad usus communes ecclesie uestre concessam. Sancimus etiam, ut nullus de loco in quo statuti estis uos audeat amouere aut super uos ordinem alterius professionis inducere. Sane noualium uestrorum que propriis manibus uel sumptibus colitis, siue de nutrimentis animalium uestrorum decimas a uobis nullus extorquere presumat. Liceat quoque uobis clericos uel laicos e seculo fugientes liberos et absolutos ad conuersionem recipere et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratum uestrorum post factam in eodem loco professionem nisi arctioris religionis optentu sine prioris sui licentia fas sit ab eodem loco discedere, discedentem uero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat uobis clausis ianuis exclusis excommunicatis et interdictis non pulsatis campanis suppressa uoce diuina officia celebrare. Obeunte uero te nunc eiusdem loci preposito uel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subceptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu uel fratum pars consilii sanioris secundum dei timorem et beati Augustini regulam prouiderint eligendum. Nulli etiam episcopo licentia pateat angarias uel alias nouas exactiones canonice quieti et religioni contrarias uobis uel ecclesie uestre imponere. Prohibemus ergo, ut nullus uestre ecclesie aduocatus alium pro se substituere uel uos iniustis uexationibus fatigare presumat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet uexationibus fatigare, sed

^{*)} Erste Zeile mit grossen Buchstaben.